



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

VIII. Quod clerici non induantur luctuosis vestibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

38 SIXTUS P. IV. CONCILIVM FRIDERICVS III. IMP.  
HENRICVS IV. R. CASTELLÆ.

floreni pro teste prædicto pœna puniantur. Decani nihilo minus & alii ad quos id pertinet, si multationem prædictam remiserint quoquo modo, ipso facto a diuinis per mensem qualibet vice nouerint se suspensos.

ANNO  
CHRISTI  
1473.

VII.

Cælestis hierarchiæ rex, qui sua mundum inef fabili prouidentia plasmauit, ita quidem actus nostros in beneplacito suo direxit sanctæ maiestatis, vt & laboris & requiei dies non immerito destinaret. In illis enim Dei populus in sudore vultus sui vesceretur pane suo, in his fatiscentia membra a seruili opere detracta, Deo offerre curaret. Eapropter nos prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, sacro approbante Concilio, diebus Dominicis & festiuis ab omni seruili opere fideles quiescere iubemus: nec liceat cuiquam rusticalia seu artificialia opera exercere, aut agros colere, nisi urgente necessitate, vel euidenti pietatis causa, & hoc de licentia sui sacerdotis. Infideles vero præfatis diebus officiis suis publice non vtantur. Contrarium vero facientes, per iudices, officiales, vel alios ad quos spestat, legitime puniantur. Qui si negligentes in hoc fuerint, grauiter puniantur: si vero dolo vel precio contrarium permiserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurant.

VIII.

Locus ob-  
scurus.

Quamvis omnis gloria \* aspira, cum ad æternam salutem abintus esse debeat, verum quia militamus illi, cum quo omnis pulcritudo agri est, vilibus vestibus vti non debemus. Absurdum ergo &

ANNO CHRISTI 1473. reprehensibilem quorumdam clericorum abusum,  
qui lugubres & luctuosas vestes induunt, & flebiliores quam suæ congruit honestati, ex eo se redidunt, quia parentes consanguineique eorum & amici corruptibilem carnis nostræ molem depONENTES, ad æternam patriam de præsentis exilii miseria conuolarunt, penitus abolere volentes; cum & secundum sententiam ore benedicto prolatam, qui credit in Christum, etiam si mortuus fuerit, *Iacob. ii.* viuet: præsentis constitutionis serie, sacro approbante Concilio statuimus, ut ulterius luctuosas vestes induere clericu*m* in sacris ordinibus constituti vel beneficiati nostræ prouinciae non audeant. Contrarium vero facientes eo ipso a perceptione frumentorum suorum beneficiorum per tres menses qualibet vice sint suspensi, \* medietatem prædictorum fructuum pro expensis sequentis Concilii, medietatem vero pro teste synodali eos accusante applicandam. Episcopi autem & alii prælati præmissa obseruare teneantur: & si contra fecerint, viginti florenorum poenam pro qualibet vice eo ipso incurvant Concilio sequenti applicandam.

I X.

Tristissimo impellimur animo recensere turpis conditionis fœdissimum scelus, quo & clericu*m* in conspectu populi contemptibiles redduntur, iramque diuinæ ultionis sibi thesaurizant, & reuerendissimum illud serenissimumque Christi corpus omnem mundi pulcritudinem excellens, sacerdos pollutis manibus (proh pudor) tractare non formidat, dicente Domino: *Discedite a me* *Psalms. 6.*